

tas & elaboratas , ut totam *Pyrotechnicam* , ejusq; admiranda instrumenta , variaq; Inventa , tam in pace jucunda , qvàm in bello necessaria , inter qvæ posteriora præcipuè eminet *Tormentum bellicum Trisphaerium* , quo tres ordine globi ex eodem tubo distincto incendio & Tempore exploduntur , à *Michaele Florentio*

44. *Langreno* inventum , ab *Erycio Puteano* verò descriptum , (44.) aliaq; similia silentio involvam , non possum sicut qvin ad furnos *Chymicorum* nonnihil subsistam . Sed qvoniam jam non vacat sigillatim recensere , qvantis Enchirisibus aucta sit hucusq; *Chymia* , de supremo saltem ac perfectissimo illo Artis Medico-Chymicæ mysterio , *Tincturâ* nimirum *Universalis* , illud vel verbo attingere mihi liceat , qvod prolixius in recenti quadam Dissertatione diduxit *Gabriel Claderus* ; plures nempe hoc aëvo numerari *Adeptos* , qvàm ullo priorum , & generatim per ultima hæc octo vel decem lustra plus in Domini illius Magni vineâ fossum
45. atq; laboratum esse , ac in antecedentibus totidem seculis . (45.)

Sive *Aërem* deinde perlustremus , qvantâ rerum noviter in eo repertarum obruimur copiâ ! qvot & qvàm egregias observationes de ejus gravitate , vi elastica , condensatione , rarefactione , aliisq; qvàm plurimis toto horreo nobis admetiuntur

46. 47. sagacissimus *Boylius* (46.) atque *Samuel Reyherius* ! (47.) Ac de
48. 49. *Antliis* qvidem *Pneumaticis* *Guerikii* , (48.) *Boylii* , (49.) *Stur-
50. mii* , (50.) aliorumq; , earundemq; stupendis effectis , de variis item *Thermometris* atq; , *Aëroscopiis* , *Baroscopiis* , *Hygroscopiis* , aliisq; nihil nunc attinet dicere , postquam Viri Celeberrimi integris libris prolixisq; Tractatibus hæc talia fusiùs explicare non dubi-
51. târunt : de *Lacrymis vitri* verò , (51.) de *Scyphis vitreis* per certum
52. vocis humanæ sonum ruptis , (52.) de ipso sono variisq; Instrumentis Musicis , de arte *volandi* , & artificio *navigandi* per aërem ,
53. à *P. Francisco Lana* invento & demonstrato , (53.) de *Sclopetus* deni-
54. que *Pneumaticis* , (54.) aliisq; similibus qvàm plurimis , tametsi qvàm maximè proferre quædam gestiret animus , vetat tamen invida temporis angustia .

Sive